



## COMMENTATIONIS ARGUMENTVM.

- §. I. *Occasio scribendi.* §. II. *Significatio eruditionis ac pietatis.* §. III. *Definitio eruditionis.* §. IV. *Definitio pietatis.* §. V. *Eruditionis diuisio.* §. VI. *Pietatis diuisio.* §. VII. *An eruditio sit utilis ac necessaria?* §. VIII. *An pietas sit necessaria?* §. IX. *An eruditio sine pietate, et pietas sine eruditione existere possit?* §. X. *An pietas cum eruditione rite coniungi possit?* §. XI. *Num eruditi obligati sint, ad pietatem colendam?* §. XII. *Num conducatur rei publicae, ut eruditi sint pii?* §. XIII. *Necesse erit, ut pietas simul cum eruditione coniungatur.*

### §. I.

**I**lluxit demum dies *Gymnasii nostri Altonani* natalitius primus. Illuxit, inquam dies laetissimus, quem multi optarunt, pauci crediderunt, vident omnes. Nunc tenebrarum atque ignorantiae imperium, etiam in his regionibus felicissimis, magis magisque abrogatum, non sine insigni animaduertimus oblectamento. Adfunt profecto inuitamenta, quibus ad mentis hilaritatem, spesque maiores, quas concepimus declarandas, iure moueamur meritoque. Vel in septentrione, mirum quantum, euehuntur litterae, vigent atque efflorescunt. Pulcherrimos sane eruditionis flores odore atque colore iam legere licet ac decerpere. Reddita est nostris sedibus veritas, reddita vera atque non fucata eruditio. Illud aureorum saeculorum beneficium, diuinitus nobis est concessum. In